

honorificentius reformatam, ordine monachorum suscipiens decoraret ¹⁴⁾. Erat enim illic more vivens carnali, iugo soluta regulari clericorum levis conciola. Cernens denique pater Willelmus illius animi devotionem promisit se cum dei adiutorio illud, quod poscebat, impleturum. Qui pariter venientes ad prædictum locum satis sullime ac sollenniter commisit ei isdem dux cum aliquibus episcopis dominium et curam regiminis totius loci. Tum ⁱ⁾ vir domini congregavit ibidem monachorum regularem catervam, ita videlicet personis numerosam ac bonorum studiis copiosam, ut triplici suo numero preteritorum numerum excelleret clericorum. Quod cernens iam dictus princeps multorum donorum ac possessionum ^{k)} largitionibus ampliavit locum. Monuit etiam tam abbatem quam ceteros fratres sepius, ut ab illo peterent, quicquid suorum utilitati expedire nossent. Utpote quoniam de hac re secundum velle provenerat ei et posse. (*cap. 14*) Interea ^{l)} cernens vigilantissimus pater, quoniam non solum illo in loco sed etiam per totam provinciam illam necnon ^{m)} per totam Galliam in plebeis ⁿ⁾ maxime scientiam legendi ac psallendi ^{o)} deficere et annullari, clericis instituit scholas sacri ministerii, quibus pro dei amore assidui instarent fratres huius officii (*fol. 225^v*) docti. Ubi siquidem gratis largiretur cunctis doctrinæ beneficium ad coenobia sibi commissa confluentibus. Nullusque, qui ad hoc ^{p)} vellet procedere, prohiberetur, quin potius tam servis quam liberis, divitibus cum egenis uniforme caritatis impenderetur documentum. Plures etiam ^{q)} ex ipsis ex coenobiis utpote rerum tenues ^{r)} accipiebant victum. Ex quibus quoque nonnulli in sanctæ conversationis monachorum devenere habitum. Cuius ^{s)} denique institutionis labor nimium optabilem diversis ecclesiis contulit fructum. Nam præfatum, ut dicere ceperamus, locum taliter claustris atque officinis regularibus ceterisque bonorum copiis adornavit, ut præ ceteris illius provincie felicibus semper floreat incrementis.

VIII (*cap. 15*). Contigit ergo postmodum, quatinus pars ecclesie beati martyris Benigni, cui auctore deo primitus pater datus fuerat, ruinam corruens daret. Quam cum reformare cuperent artifices cementarii, graviolem pars eadem dedit ruinam. Quod cernens vir deo devotus, intel-

i) Iam *B*

k) ac possessionum *ü. d. Z. in F*

l) Praeterea *R*

m) etiam *R*

n) plebeis *R*

o) psallendi ac legendi *RBM*

p) haec *RBM*

q) enim *R*

r) tenues e coenobiis *R*, tenaces *B*
und am Rand: „forte tenues“

s) eius *R*

¹⁴⁾ Zum Reformauftrag 1001 an Wilhelm für Fécamp, s. Bulst S. 148 f.